



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsque ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 5. An teneantur fideles anticipare confeßionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

se, & directe tantum confitetur de actionibus factis in vna parte anni si in alia parte habeat peccata, nullo modo impleuit totum præceptum: quia illa confessio nullo modo relata est ad illam partem illius anni: est ergo quoad hoc tam in intentione, quam in forma præcepti differentia. Ac denique etiam est rationis diuersitas: quia peccata oblita aliquo modo continentur in illa confessione, saltem in confuso, & per illam tolluntur saltem indirecte, & per accidens etiam si homo tantum attritus sit, at vero peccata postea commissa nullo modo tolli possunt per præcedentem confessionem, & ideo non est eadem ratio.

SECTIO V.

Utrum interdum teneantur fideles anticipare confessionem antequam annus impleatur.

HÆC quæstio intelligitur de obligatione per se: nam per accidens ratione communionis, vel sacrificij missæ non est dubium quin sæpe possit accidere hæc obligatio, tamen ea, quæ per accidens sunt, non cadunt sub scientiam. Rursus hæc obligatio per se intelligi potest, vel ex vi huius præcepti de annua confessione positi in dist. cap. *Omnis vtriusque sexus*, vel ex vi solius iuris diuini, vel ex vi alterius Ecclesiastici præcepti. De his ergo tribus membris breuiter dicendum est.

Quoad primam partem communis sententia est, ex vi huius præcepti teneri fideles ad anticipandam confessionem in quacunque parte anni si præuident fore, vt amissa illa occasione non possint in toto anno confiteri, vt verbi gratia ex penuria confessionum, vel ex longa nauigatione, vel peregrinatione per terras infidelium. Ita docent Theologi d. 17. Bonau. 2. p. d. 15. art. 2. quæst. 2. Gabr. quæst. 2. art. 3. dub. 1. Durand. quæst. 10. num. 6. Maior quæst. 2. art. 5. Richard. art. 3. quæst. 5. Palud. quæst. 2. art. 4. Adrian. quæst. 3. de Confessio. Petr. Soto lect. 5. de Confessione, Sylu. *Confessio*, 1. quæst. 2. Medin. quæst. de tempore, quo confiteri oportet. Cano, Soto, & alij supra citati. Et ratio est: quia hoc præceptum nõ limitatur ad finem anni: sed obligat ad confitendum semel in anno peccata commissa & non confessata: sed, si homo positis in illa occasione, non confiteatur statim, non implebit præceptum in anno, imo reddidit se impotentem ad implendum illud: ergo tenetur tunc confiteri. Sicut, qui in die festo præuidet, se non posse audire sacrum ab hora decima, tenetur anticipare & audire prius, quam uis alias posset differre vsque ad horam decimam secundam, si futurum esset sacrum: quia illud præceptum simpliciter obligat pro illo die, prout in illo impleri poterit: nam proportionalis est obligatio pro toto anno in confessione.

Et hoc exemplum soluit obiectionem, quæ fieri potest, nam si quis præuidet fore, vt non possit in die dominica audire sacrum, non tenetur præuenire, & audire in die sabbathi, & idem est de ieiunio. Respondetur enim non esse simile, quia obligatio talis præcepti non incipit vsque ad diem præfixum; in illo vero obligat pro toto die, modo explicato: ita hæc obligatio incipit, vel currit in toto anno, vnde in illo est implenda, prout potuerit. An vero idem sit: de præcepto annuo Eucharistiæ, suo loco dictum est; ex eo vero quod certum est, possumus à simili confirmare sententiam positam: nam saltem intra illos quindecim dies à Dominica palmarum ad Dominicam in albis, certum est teneri aliquem anticipare, & communicare in Dominica palmarum, si præuidet quod in sequentibus diebus communicare non poterit, quia saltem de illo toto

tempore certum est esse aptum ad implendum illud præceptum, & in toto illo currere obligationem, vt intra illud impleatur prout potuerit. Aliud simile tractat Cano de obligatione recitandi horas intra vnum diem, an teneatur homo præuenire, quando præuidet impedimentum. Sed hoc requirit propriam, & longiorem disputationem: quia in multis est dissimilitudo, quæ non possunt hic breuiter explicari.

Quidam vero limitant hanc sententiam, vt solum procedat in eo, qui voluntariè se exponit tali impedimento: secus vero esse, si ex defectu proprii sacerdotis sibi inuoluntario hoc eueniat, vt, verbi gratia, si in aliquo oppido tempore quadragimæ deficiat parochus, vel antea præuideatur defuturus, dicunt non teneri fideles ad anticipandam confessionem: tum quia impedimentum in eo casu, cum non sit voluntarium, non imputatur: tum etiam quia ad Ecclesiam pertinet prouidere sacerdotes, qui si defint, non tenentur fideles anticipare confessionem. Sed non oportet limitationem adhibere: quia, vt dixi, hæc obligatio semel in anno confitendi, in quacunque parte anni locum habet, si illa non possit impleri, ex quocunque capite hæc impotentia pronunciat: id enim accidentale est quod satis confirmat exemplum supra positum de præcepto audiendi missam: vnde, si pro aliqua parte anni habetur copia confessoris, iam Ecclesia sufficienter prouidet de confessore, prout fieri potest. Et hinc omnes Doctores consequenter colligunt, si quis habeat peccata reseruata, & nunc possit illa confiteri habenti iurisdictionem in illa, timeatque non habiturum amplius in illo anno copiam talis confessoris, teneri ad confitendum statim, est enim eadem proportionalis ratio.

An ex vi iuris diuini urgeat interdum hæc obligatio.

Circa secundam partem quæstionis certum est, si intra annum occurrat mortis periculum, ius ipsius diuini ad confessionem obligare. Quod per se notum est ex supra dictis. Quod ergo dubitatur, est, an præter illum articulum, sit alius casus, in quo obliget ius diuini. Aliqui auctores præter hunc casum numerant periculum obliuionis: itaque si aliquis timeret probabiliter, expectando finem anni omisurum multa peccata propter obliuionem, teneri ad anticipandam confessionem quantum necesse sit, vt omnium integre recordetur, & confiteatur. Teneat Maior d. 17. quæst. 2. in fin. Marfil quæst. 12. art. 1. p. 4. in fin. Medina quæst. 16. Fundamentum est: quia de iure diuino tenetur homo integre confiteri: ergo tenetur tunc confiteri cum possit integre: sed præceptum Ecclesiæ non potuit auferre hanc obligationem: ergo. Respondet Soto, Ecclesiam potuisse de finire tempus, pro quo possunt homines moraliter & regulariter loquendo, recordari quale est tempus vnus anni: & ideo, licet in particulari interdum in aliquo deficiat, non propterea obligari ad anticipandam confessionem, vnde admisso antecedente, & prima consequentia, negat sententiam. Sed non videtur consequenter loqui, quia Ecclesia determinando tempus, non potest mutare id quod iure diuino definitum est: si ergo iure diuino quisquam tenetur confiteri, tunc cum recordari potest, non potuit Ecclesia id mutare: iam enim ille articulus tam vere est de iure diuino, sicut articulus mortis. Confirmatur à simili: nam iure diuino, & naturali tenentur fideles alere sacerdotes, & ad hoc Ecclesia determinauit decimas, & nihilominus, si alicubi non sufficerent, tenentur fideles dare necessaria: similiter determinauit tale ieiunium ad corporis macerationem: & tamen, si alicui in particulari esset aliquid amplius necessarium ad suam

Communis sens.

Bonau. Gabr. Durand. Maior. Richard. Palud. Adrian. Petr. Sot. Sylu. Medin. Cano. Soto.

Solutio obiectionis.

Limitatio quædam.

Reph. in.

Ad præceptum mortis.

in aliquo casu.

Maior. Medin.

Solutio præcedentis.

ad suam salutem, teneretur id facere, quia ius Ecclesie non excludit naturale. Et augetur difficultas. Ponamus enim hominem probabiliter timere ne omnia peccata omnino memoria excidant, vel ne in amentiam incidat: tunc tenetur sine dubio anticipare totam confessionem: ergo idem proportionaliter dicendum est quando est periculum de omittere parte.

6 **Communis est vera sententia.** Syluest. Soto. Petr. Sot. Victor. Cano. Ledesma. Nauarr. Nihilominus communis sententia est in huiusmodi casu non esse obligationem anticipandi confessionem. Syluest. Confessio, 1. quæst. 2. Soto d. 18. q. 1. art. 4. Petr. Sot. lect. 5. Victor. num. 132. Cano dicta relect. p. 5. Ledesma. q. 5. art. 5. dub. 7. & 8. Nauarr. c. 21. nu. 25. Ratio à posteriori est, quia alias determinatio Ecclesie fere nihil profuisset fidelibus, si incerti essent de tempore suæ obligationis, neque haberent pacatas conscientias. Ratio vero à priori esse debet: quia non tenetur homo iure diuino præuenire, & diligentiam facere, vt peccata conferret in memoria, sed tantum tenetur quando tempus obligationis occurrit morale diligentiam facere, vt omnium recordetur, & integre confiteatur; & hoc satis est moraliter loquendo, vt confessor cognoscat statum conscientie penitentis, præsertim si ipse ex parte sua diligentiam adhibeat, quam iuxta personæ conditionem adhibere tenetur: neque maior obligatio satis colligi potest, vel ex sacra Scriptura, vel ex Ecclesie traditione. Et hæc posterior opinio est suauior, & practice secura, quam prior consulenda esset.

An ex vi alterius præcepti Ecclesiastici hæc obligatio interdum oriatur.

7 **Alia.** Sot. Caiet. Palud. Nauarr. Circa tertiam partem questionis certum est, nullum esse præceptum posituum per se obligans totam Ecclesiam ad confitendum ante impletum annum. Solum circa religiosas personas sunt duo iura breuiter explicanda, alterum in Clementina 1. de Statu Monachorum, vbi præcipitur religiosis Sancti Benedicti, vt singulis mensibus confiteantur. De quo iure primum incertum est, an obliget tantum eos, qui habent conscientiam peccati mortalis, vel etiam si non habeant nisi tantum venialium. Glossa enim ibi priorem sententiam significat, dum ait ibi fieri determinationem mensuram pro illis religiosis, sicut facta est annua pro omnibus fidelibus: & hoc sequitur Soto. d. 18. quæst. 1. artic. 3. & indicat Palud. 4. d. 17. quæst. 2. artic. 4. Alij vero existimant secundum. Cum Caietan. tom. 1. opus. tit. 5. quæstion. 1. Cano dict. Relect. p. 5. Nauarr. in capite, Placuit, de Pœnit. d. 6. numero 122. & certe videtur magis consonum intentioni Pontificis: tum quia non est verisimile præsumpsisse Pontificem religiosos peccaturos mortaliter singulis mensibus: tum etiam quia præceptis, seu regulis ibi positis intendit Pontifex reformare religionem illam: non esset autem reformatio, sed potius relaxatio religionis, si tantum post commissum peccatum mortale, & singulis mensibus ad confessionem obligarentur.

8 **Sot. Maior. Nauarr. Caiet. Cano.** Deinde incertum est, an illud ius obliget sub mortali tales religiosos ad mensuram confessionem: Soto enim supra consequenter videtur affirmare, quod etiam sentit Maior, distinct. 17. quæst. 2. Nauarrus autem supra solum dicit eos teneri de honestate. At vero Caietan. sentit non obligare illam legem ad peccatum mortale, quod sequitur Cano relect. illa. p. 5. quia nec verba legis, nec poena imposita tantam obligationem inducant. Quæ ratio non multum cogit: quia verbum, teneantur, vel aliud simile, quo ibi Pontifex vtitur de se sufficiens est, grauitas autem obligationis non est colligenda ex poena, sed ex materia legis: at vero hic materia grauis est, scilicet vsus sacramenti ad vitam religio-

A sam magis necessarij, sicut ibi etiam præcipitur communi singulis mensibus, quæ etiam videtur materia grauis. Vnde existimo hoc pendere ex instituto, & consuetudine talis religionis: arbitror enim hæc constitutionem non magis eos obligare, quam alias eius religionis regulas: quia in toto illo capite nullum verbum est, quod aliud indicet. Vnde, si vsus, & declaratio talis religionis est, vt constitutiones eius non obligent ad culpam, nisi quando adiungitur poena excommunicationis, vel alio simili modo ea obligatio explicatur, dicendum est hoc ius non obligare sub mortali, si vero nulla talis est declaratio, neque ex consuetudine huius religionis aliud constat, lex hæc explicanda est iuxta vim verborum, & qualitatem materiae, in quam cadit, & ideo ex suo genere inducet grauem obligationem, propter rationem factam.

B Alterum ius posituum explicandum erit in Concilio Trident. sess. 25. capite 10. de Regularibus, vbi admonentur moniales vt singulis mensibus confessionem peccatorum faciant: ex verbis autem illius decreti constat non esse rigorosam legem, præcepti obligationem inducentem, quia verbum, Admoneo, quod Concilium ponit, non est præceptuum.

SECTIO VI.

Quibus modis excusetur homo ab executione huius præcepti.

Diximus de obligatione anticipandi confessionem, superest vt explicemus licentiam, seu facultatem differendi confessionem, & in primis nõ est quod agamus de casu impotentie absolute, & simpliciter, qualis est quando omnino haberi non potest copia confessoris: nam tunc per se notum est hominem excusari à culpa: etiam si per multos annos confessionem ex hac causa differat, quia nemo ad impossibile obligatur. Secundo certum est, non solum physicam, & absolutam impotentiam, sed etiã extraordinariam difficultatem moralem posse interdum excusari, vel si quis nõ possit habere confessorem, nisi longum iter conficiat, non enim est ad hoc cogendus, præsertim quãdo non vrget periculum salutis. Quanta vero esse debeat hæc difficultas, prudentis viri iudicio existimãdum est. Atque idem dicendũ est quando est copia confessoris, non tamẽ potest illi fieri confessio sine morali periculo infamationis, vel alterius grauis nocuenti: sicut enim supra diximus huiusmodi causam excusare interdum ab integritate confessionis, ita si totam confessionem comprehendat, à tota illa excusabit, est enim eadem proportionalis ratio. Quod maxime indubitatum est in obligatione Ecclesiastici præcepti; quia non obligat cum tanto rigore: extendi vero potest ad obligationem præcepti diuini, si causa sit grauis, & alia non imminet morale periculum damnationis vt iam explicabo. Obseruandum vero hic est (quod supra adnotauimus) licet interdum occurrat hæc causa sufficiens ad excusandum à confessione vnus, vel alterius peccati, non propterea excusari ab obseruatione huius præcepti eum, qui conscientiam aliorum peccatorum mortalium habet, quia potest illa confiteri, confessione formaliter integra: non est ergo cur excusetur. Secus vero esset si non haberet peccata mortalia, præter ea quæ sine tali incommodo confiteri non potest: nam, licet posset in eo casu recipere hoc sacramentum sine incommodo, confitendo tantum venialia, non tamen tenetur, quia præceptum non obligat ad talem confessionem, vt supra dictum est.

Hic